

elementa etiam quotquot sunt omnia, partesque eorum singulas, a totis suis non avulsas, animata esse. Sed positionem hanc Peripatus non admittit. Sed multis rationibus, uti illis videtur, satis acribus eam oppugnant. Aiunt namque ex Præceptoris præscripto. Si animatus est mundus, animam eum habere est necesse. Et anima est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis. Mundum autem, et corpus, et physicum esse concedunt, organicum, et viventem, esse negant. Hæc ergo duo discutiamus. Animi hæc Aristotelica deffinitio, non videtur, nisi ad animum plantarum pertinere. Hæc namque sua, et omnium confessione, et vivunt, et organicum habent corpus. Organismis nimirum talibus, per qualia, vitæ beneficium suscipere, et vitæ munia queant obire. At ad animalium animos, et ad humanas animas, nequamquam pertinet hæc deffinitio. Nam et hæc vivunt sane, et vivere possunt, et instrumenta corporis habent, ad vitam obeundam. Qua in re, et bruta, et homines, cum stirpibus communicant. At bruta Aristotelico dogmate, præter vitam, et instrumenta, et motum habent localem, et sentiunt. Quorum, neutrum, in deffinitione est comprehensum. Homines vero, supra bruta, et gloriæ desiderio tanguntur, et rationem, et intellectum possident, idque per animam. At nulla horum in deffinitione sit mentio. Deffinitio ergo hæc, in animis etiam notis, tam misella, tam manca, nihil animo mundi oberit. Ne igitur eam nobis obiiciant. Addamus. Cælum, sphaeræ cælestes, astra, sunt animata, et vivunt. Hoc Aristoteles docuit. Theophrastus, et Alexander confirmarunt. At quæ nam habet cælum organa, ad suam vitam necessaria? Recentiorum, e Peripato, non pauci, contra duos illos suos veteres, Philopponum, et Simplicium, multas argumentationum forma nugas, constituxerunt, ut destruerent, astra, non audire, non videre, nullos habere sensus. Hæc præcipua est. Quia organa videndi, audientive, aut sentiendi, nulla tenent. Si organa, ad sentiendum, et vivendum, tam sunt necessaria, et cælum, et sphaeræ, et astra, nulla habeant organa, qua philosophica ratione principi suo concedunt, illa esse animata, et vivere, et actiones obire, quales animalia, et plantæ obeunt? Vel principem ergo errasse, vel se errare fateantur est necesse, dum cum illo non conveniunt. At utrum, vel se se, vel illum, cum Peripati magnis illis, quos appellavimus, Coryphæis, in errore versari eligant, non tamen conficiant, ad vitam omnem, instrumenta esse necessaria, quando astra, sphaeræ, cælum, quod negare non audent, vivunt, organa tamen habere ulla ipsi pernegant. Sed vivit, et anima quæque, et animus quisque. Vivunt, et intellectus omnes. Vivit, et ipsamet vita prima, et in mundo intelligibili vitæ omnes, et omnes essentiæ. Et quæcumque in Deo erant vita, et ea, quæ ipse asserit supra extimam lationem vitam degere optimam, et sufficientissimam toto æone, nullis tamen prædita esse affirmare audent instrumentis. Cum ergo tot entia, et supramundana, et mundana sine organis vivant, cur in mundo, vitæ organa requirant? Si in mundi permaximis partibus, cælo, sphaeris, astris vitam ponunt, non ponunt instrumenta, cur in mundi corpore toto, instrumenta exposcunt? Si in cælo, in mundo toto, organa vivendi, non sunt necessaria, cur nam in elementis, si vivere debeant, erunt necessaria? Si vero neque in illis, neque in his sunt necessaria, cur elementa negantur, aut vivere, aut vivere posse, hac sola ratione, quod vivendi instrumentis careant? At, et quo modo id sciunt, elementa organis carere vitæ? Non enim omnia viventia, ventres habent, aut corda, aut iecinora. Sed sua quique sunt proportionata. Nam et Plantæ his carent, et tamen vivunt. Et animalia itidem multa, sine his, aut similibus vivunt instrumentis. Omne enim eorum genus, suis formis, suis actionibus, suis viribus, suisque essentiis ea habent proportionata. Quid ergo vetat, quin elementa etiam sibi habeant vivendi instrumenta proportionata? Quæ, nos quidem non cernamus, nec cognoscamus, ipsa tamen habeant, si ad vitam sint necessaria? Aut si non necessaria, non habeant, cur frustra a nobis exiguntur. Sed Peripati rationes hæc, cum nihil concludant veri, et ex manca illa, animi deffinitione sint profectæ, nullius sunt in hac in re, momenti. Nam et alias longe veriores habemus, illis contrarias, quibus mundi animatio confirmetur. Mundus, corporum omnium est perfectissimum. Ergo et formicarum, et blattarum corporibus est perfectius, et aliarum, istismodi, sine numero mundi quisquiliarum. Quæ animatæ sunt, et animo, sibi proprio,